



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta  
Complectens Primam Secundæ, & Secundam Secundæ Summæ  
Theologiæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

6 Vtru[m] idem actus exterior possit esse bonus, & malus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72759](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72759)



indirecte. Et hic sensus potest sumi, ut expositus ab ipsomet inferius in q. 73. arti. 2. ad 2. & artic. 3. ad 2. Et ad primum, ubi dicit, quod euentus sequens, si sit praevius & intentus, addit ad bonitatem, uel malitiam actus, sicut supra dictum est, cum de bonitate & malitia humanorum actu ageretur. Et quia in corpore illius articuli, ponit sub non intento uoluntati indirecte, idem consulto dixi, quod intentio auctoris est loqui de praevio & uolito, siue directe, siue indirecte. Et potest quodque hinc sensus ex hac litera sumi, dum dicitur uoluntas magis inordinata. Cum enim uoluntas non reddatur inordinata ex actu exteriori, nisi in quantum uolito, consequens est, quod nec eius euentus deordinatur nisi uolito: & consequenter ex eodem non magis deordinatur, nisi uolito: Intendit ergo in primo membro siue per se, siue per accidens, siue frequenter, siue raro, & breuiter, euentus quomodo libet actionis propriae sit praevius, & uolitus, addit ad bonitatem uel malitiam actus, & hoc est manifestum: quia hoc spectat ad uoluntatem magis deordinatam in malis, & magis affectum in bonis.

In q. 73. arti. 6. co. Et 2. q. 9. arti. 2. ad 2. & artic. 3. ad 2. Et 2. dist. 40. a. 4. Et ma. q. 2. arti. 4. & veri. q. 1. arti. 4. co. & q. 2. art. 3. cor. Tex. 39. & 40. com. 2.

Tex. 14. 20. 21. com. 3.

¶ *Super Quaestione uigesima Articuli sextum.*  
In artic. 6. eiusdem uigesimae quaest. nihil occurrit scribendum, nisi reddere lectorem attentum, quod non dicit auctor, eundem numero actum uoluntatis non posse esse successiue bonum, & malum: sed dicit eundem numero actum in genere moris. Actus enim uoluntatis secundum se est in genere naturae, & secundum suas condiciones in genere moris. Et haec dixerim propter Durandum in 2. distinct. 40. quaest. secunda, ne quis putet contra hanc doctrinam militare.

Arti. 3.

secundum effectus per accidens. Ad secundum dicendum, quod bona, quae auditores faciunt, consequuntur ex praedicatione doctoris, sicut effectus per se: unde redundant ad praemium praedicatoris, & praecipue quando sunt praesentia.

Ad tertium dicendum, quod euentus ille, pro quo illi poena in flagenda mandatur, & per se sequitur ex tali causa, & iterum ponitur ut praecogitatus: & ideo impunitur ad poenam.

Ad quartum dicendum, quod illa procederet, si irregularitas sequeretur culpam. non autem sequitur culpam, sed factum propter aliquem defectum sacramenti.

ARTICVLVS VI.

¶ *Utrum idem actus exterior possit esse bonus, & malus.*

Ad sextum sic proceditur. ¶ *Vt*, quod unus actus possit esse bonus, & malus. Motus enim est unus, qui est continuus, ut dicitur in 5. Physic. sed unus motus continuus potest esse bonus, & malus, puta, si aliquis continue ad ecclesiam uadens, primo quidem intendat inanem gloriam, postea intendat Deo seruire, ergo unus actus potest esse bonus, & malus.

¶ *2. Praet.* Secundum Philosophum in 3. Physic. Actio & passio sunt unus actus; sed potest esse passio bona, sicut Christi: & actio mala, sicut Iudeorum, ergo unus actus potest esse bonus, & malus.

¶ *3. Praet.* Cum seruus sit quasi instrumentum domini, actio serui est actio domini, sicut actio instrumenti est actio artificis: sed potest contingere, quod actio serui procedat ex bona uoluntate domini, & sic sit bona: & ex uoluntate mala serui, & sit mala, ergo idem actus potest esse bonus, & malus.

¶ *SED CONTRA.* Contraria non possunt esse in eodem: sed bonum, & malum sunt contraria, ergo unus actus non potest esse bonus, & malus.

¶ *RESP.* Dicendum, quod nihil prohibet aliquid esse unum, sed quod est in uno genere, & esse multiplex secundum quod refertur ad aliud genus, sicut superficies continua est una, secundum quod consideratur in genere quantitatis, tamen est multiplex, secundum quod refertur ad genus coloris, si partim sit alba, & partim nigra; & secundum hoc nihil prohibet aliquem actum esse unum secundum quod refertur ad genus naturae, qui tamen non est unus secundum quod refertur ad genus moris, sicut & conuertitur, ut dictum est. ¶ *Ambulatio enim*

continua, est unus actus secundum genus naturae: potest tamen contingere, quod sint plures secundum genus moris, si mutetur ambulantis uoluntas, quae est principium actuum moralium. Si ergo accipiat unus actus, prout est in genere moris, impossibile est, quod sit bonus, & malus, bonitate, & malitia morali: si tamen sit unus ueritate naturae, & non ueritate moris, potest esse bonus, & malus.

¶ *AD PRIMUM* ergo dicendum, quod ille motus continuus, qui procedit ex diuersa intentione, licet sit unus ueritate naturae, non est tamen unus ueritate moris.

¶ *AD SECUNDUM* dicendum, quod actio, & passio pertinent ad genus moris, in quantum habent rationem uoluntarij. Et ideo secundum quod diuersa uoluntate dicuntur uoluntaria, secundum hoc sunt duo moraliter, & potest ex una parte inesse bonum, & ex alia malum.

¶ *AD TERTIUM* dicendum, quod actus serui, in quantum procedit ex uoluntate serui, non est actus domini: sed solum in quantum procedit ex mandato domini, unde sic non facit ipsum malum mala uoluntas serui.

QVAESTIO XXI.

¶ *De iis quae consequuntur actus humanos, ratione bonitatis, & malitiae, in quatuor articulis diuisa.*

¶ *Super Quaestione uigesima Articuli primum.*

¶ *DE* INDE considerandum est de his, quae consequuntur actus humanos ratione bonitatis, uel malitiae.

¶ *PRIMO*, Utrum actus humanus in quantum est bonus, uel malus, habeat rationem rectitudinis, uel peccati.

¶ *SECUNDO*, Utrum habeat rationem laudabilis, uel culpabilis.

¶ *TERCIO*, Utrum habeat rationem meriti, uel demeriti.

¶ *QUARTO*, Utrum habeat rationem meriti, uel demeriti apud Deum.

ARTICVLVS PRIMVS.

¶ *Utrum actus humanus in quantum est bonus uel malus, habeat rationem rectitudinis, uel peccati.*

¶ *AD PRIMUM* sic proceditur. ¶ *VIDETUR*, quod actus humanus in quantum est bonus, uel malus, non habeat rationem rectitudinis, uel peccati. Peccata enim sunt monstrata in natura, ut dicitur in 2. Physic. ¶ *MONSTRA* autem non sunt actus, sed sunt quaedam res generatae praeter ordinem naturae. Ea autem quae sunt secundum artem & rationem, imitantur ea quae sunt secundum naturam, ut ibidem dicitur, ergo actus ex hoc, quod est inordinatus & malus, non habet rationem peccati.

¶ *2. Praet.* Peccatum, ut dicitur in 2. Physic. ¶ *ACCIDIT* in natura & arte, cum non peruenitur ad finem in-

¶ *IN* titulo omnium articulorum 21. aduerte, quod cum quaeritur, Utrum actus humanus, in quantum bonus uel malus, habeat hoc, uel illud, potest intelligi illa reduplicatio nota. Primo, ut determinat bonitatem, uel malitiam absolute, & sic non sumitur hic, quia hoc esset idem quod quaerere de conuenientibus bono, uel malo absolute, quod non spectat ad moralem, sed metaphysicum, & essent falsae responsiones. Alio modo, ut determinat bonitatem, uel malitiam propriam, seu contractam ad actum humanum. Et hic est intentus sensus quaestionum, & responsionum, ita quod intendit auctor quaerere, An actus humanus ex sua bonitate, uel malitia, ut sic, habeat rationem rectitudinis, uel peccati, etiam apud Deum: & similiter peccati, culpabilis, demeritorij etiam apud Deum. Et ut patet in litera, determinat partem affirmatiuam, ita quod actus humanus constituitur in esse boni, uel mali, quasi ex causa formali, & super hoc fundatur, quod ex ordine ad finem recti, uel peccati, ex ordine ad efficiens, laudabilis, uel culpabilis, ex ordine ad alterum meritorij, uel demeritorij.

Mal. q. 1. sic. 2. 11. 11. 11.

Tex. 11. mo 1.

Tex. 11. mo 1.